



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Ephemerus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Aquam videri popularemque auram illam protinus aspernari. Denique verum est quod Plinius Nepos ait Epistolis, recta ingenia debilitari verecundia, perversa confirmari audacia atque ita quo quis imperitior, eo impudentior atque jactantior evadit, quod Græco etiam axiomate confirmatur, ἀπαξία μὴ ἴσος, λογισμὸς ὀννοῦ Φέει: Imperitia quidem audaciam, eruditum vero rerum examen timiditatem effert. Merito itaque viro torti odiosa Musca, & sapienti tomeritas. Ideoque Hercules eas suo de facello abegisse dicitur, Myodem quem vocabant earum deum imprecatus. In Olympiæ sacro fortium carmine, Tauro, deo eidem, ut ajunt, immolato, nubes earum toto eo agro abire coegebatur. Hunc superius Beelzebubem diximus ex Hieronymo.

CYNICI. CAP. XXXVIII.

IN sacris nostrorum literis habetur Cynomyia mentio non contemnenda: quippe inter Ægypti flagella enumerata. Muscam eam caninam plerique dicunt, adjecta scilicet ad importunitatem canis etiam impudentia. Cynicorum sectam animali huic persimilem dicit Adamantius, qui ad reliquas improbitatis suæ deceptiones, voluptatem etiam & libidinem inter bona summa commemorabant. Nam quod molesti essent contra civiles omnes mores, omnia deridendo, multorum est testimonio manifestum: quod vero & impudentes, vel unius Diogenis improbum facinus indicat, qui vel medio in foro spectante populo, hominem, ut ipse jactabat, plantare non erubescibat. Ita plerique hodie, dum levia quædam publicè reprehendunt, gravissima quæque ipsi sibi permittunt. Apud Eucherium locus animadvertendus est de Cynomyia, quæ non Musca canina, ut quidam putant, Psalmo sit accipienda, sed Musca potius omnimoda: quod si admittatur, non per y Græcam literam scribi debet prima syllaba, sed per æ diphthongum: atque ita dicendum esset pro Cœnomia, Muscarum genus omne.

DE EPHEMERO. CAP. XXXIX.

APud Cimmericum Bosphorum Hypani fluvio, veluti folliculus acinis majores ferente, gignitur Ephemerus, animal quadrupes volatile, quod nos Diarium appellare possumus.

UNIUS DIEI VITA. CAP. XL.

PER hieroglyphicum ejus infantem aliquem, qui non ultra unius diei spatium vitam produxerit, nonnulli significandum censent. Id enim animalis genus ut eruperit è folliculo, in pomeridianum usque diei tempus vivit, & volat, mox descendente sole macrescit & languet: deinde occidente moritur, vita non ultra diem unum prorogata. Eiusdem imbecillitatis est papilio, in grandissima Muscæ speciem, colore albedo, qui ex folliculo bombycis intra suam araneam conditi transformatique erumpit, candidoque exceptus velo, ova, haud ita multo post Papaverum feminibus paulo maiora, edita plura numero: mox intra paucissimarum horarum spatium ab ovis editis emoritur: ex quo formari posset hieroglyphicum, quod indicaret, re bene gesta vitam exhalatam, ut Epaminondam Thebanum, & Leonidam Spartanum fecisse legimus. Ac ne quis commentitium ac fabulosum censeat, quod super Ephemerum auctores tradunt, ut Bombycem prætereamus, quem tota jam Italia domi uniusquisque contueri potest, in Britannis fluvius est, vel, ut nonnulli tradunt, Euripus potius, qui totam terme insulam dividit, utrinque in ripæ marginibus arbores sunt, quæ folliculos ad ovi anferini magnitudinem ferunt: hi certo anni tempore in subjectam aquam decedentes simulac molliti fuerint, aperiuntur, deoque singulis singulæ exclusæ aves abvolant, Pipionibus paulo minores, candore insigni, alisque adeo plumatis, ut alte statim auferantur, neque quo migrent ulli adhuc compertum ajunt.

DE CICADA. CAP. XLI.

UT vero bestialis his finem imponamus, admonet Cicada, quæ continuati soni raucitate molestissima, nos omnino videtur edocere, ut ejus exemplo tædio esse caveamus, tam multa congerentes. Ejus igitur hieroglyphica profecuti, aves jam & volatilia reliqua valere jurebimus.

S s

Theopompus, apud
Athen. l. 11.
ἀδελφὸς ἄσπετος.
λαδὸς
cicada pri
INI des.